cordiam colliguntur. sed quam misericordiam prestiterint.
Beati enim misericordes quoniam ipsorum miserebitur deus.
Item superexaltat misericordia iudicium. supponitur
misericordia iudicio in quo inventi fuerint
opera misericordiae. Et si habuerint aliquid forte
in iudicio quo puniantur. tamquam unda misericordiae
peccati ignis extinguitur. Si autem inquit frater
aut soror nudi sint et cetera. Manifestum est quia sic
verba sola pietatis nudum et esurientem non recreant
sine et cibus praebeatur et vestis. Ita fides verbotenus
servata non salvat. mortua est enim in semet ipsa
sine operibus caritatis quibus reviviscat
atque animetur. Neque huic sententiae contrarium est quod
dominus ait. Qui crediderit et baptizatus fuerit
salvus erit. Subintellegendum namque ibi est quod
tantummodo vere credat qui exercet operando